



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

4. De forma & modo Electionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

t. in 4. compilat. Et hujusmodi electionem, quæ nulla est, celebrare præsumentes à beneficijs per trienium suspenduntur, privatique sunt potestate eligendi.

§. III.

Intra quod tempus fieri debeat Elec-
tio.

1. Intra tres menses facienda Eleccio.
2. Alias ad proximum superiorem devolvitur jus
eligendi.
3. Ab exemptis ad summum Pontificem.

1. IN Ecclesijs Cathedralibus sive Episcopali-
bus ac Regularibus, id est Collegiatis qui-
buscumque, fieri electio deberet intra tres menses,
nisi iustum habuit impedimentum, quod tollere
electores non possint, e. Ne pro defectu 41. b. tit.
can. Postquam 11. Distinct. 50. can. Obeuntibus di-
finet. 63. Et incipiunt computari dies, non à die
vacationis, sed à die, quâ Canoniceis, vel alijs de
Collegio innotuerit vacatio Ecclesiæ, d.e. Ne pro
defectu, juncto innoc. & alijs b. t.

2. Canoniceis vero, vel alijs, intra hoc tem-
pus electionem negligenteribus, jus eligendi de-
volvitur ad proximum superiorem, d.e. Ne pro
defectu: licet olim devolveretur ad Romanum
Pontificem, e. Dilectus, inf. De concef. præbendo:
qui superior tenetur intra tres alios menses Præ-
latum eligere ex ipsa Ecclesia vacante, si in ea
dignum inveniat, alioqui ex alia, d.e. Ne pro defectu.
Eoque negligente devolvitur electio ad ali-
um superiorem, & sic gradatim usque ad Pa-
pam, d.e. Ne pro defectu.

3. Ad quem statim jus eligendi devolvitur,
quando Canonici, negligentes electionem, ab
Archiepiscopali jurisdictione sunt exempti, ac
summo Pontifici immediate subjecti, e. Licit
inf. De supplenda neglig. Pralorum. Idem obti-
net in Præfecturis, atq; alijs dignitatibus regulari-
bus exemptis, per electionem dari consuetis, Cle-
ment. 1. De supplenda neglig. Pralat. e. Cum singu-
la in fine De prefab. in 6. Potest tamen consue-
tudine induci, ut una Ecclesia de gremio alterius
tenet sibi Prælatum eligere, e. Cum dilectus
32. b. t. Quando vero non omnes, penes quos elec-
tio est sunt negligentes, sed major pars Ca-
pituli negligit electionem, vel non vult eligere
aut renuntiat electioni, vel quando qui alias e-

ligendii ius habent, sunt absentes in loco, unde
vocari eos oportet, tunc ius eligendi devolvitur
ad minorem partem, illoque, qui præsentes & ha-
biles fuerint ad eligendum, quia tales non repu-
tantur de Capitulo, iurisque fictione totum Ca-
pitulum representatur in minore parte, vel eti-
am uno, Abbas in c. Congregatio 53. n. 3. & 4. b. t.
& in Gratian. 5. 8. & 9. sup. De posuitat. Pra-
lat.

§. IV

De forma & modo electionis.

1. Forma Electionis triplex.
2. Electio per scrutinium.
3. Quia dicatur major & senior pars.
4. Electio per compromissum.
5. Per quasi inspirationem divinam.
6. Ad hanc formam etiam in Prelatis Episcopo inferio-
ribus locum habeat.

1. Formam Electionis triplicem tradit Inno-
centius in e. Quia propter 42. b. t. nempe per
scrutinium, per compromissum, & quasi per
inspirationem divinam: & aliter facta electio
non valeat, & contra facientes privandi sunt ea
vice potestare eligendi, d. cap. Quia propter, e. Cu-
miana 50. in fine & ibi Glos. b. t.

2. Per scrutinium sit electio, quando vocatis
seu requisitis ac præsentibus omnibus, qui de-
bent, volunt & possunt commode interesse,
tres de Collegio eligentium ad hoc collegiali-
ter congregato, fide digni eliguntur, qui præsen-
tium vota lecreti & vigilatim diligenter ex-
cipiant, eaque certa, pura, libera nullaque adje-
cta conditione, vel alternatione, e. 2. evd. in 6. d.
e. Quia propter &c. Cum terra 14. b. t. deinde votis
in scripturam redactis mox scrutinium publi-
cent in communis seu in præsencia Capituli: ut ex
suffragiorum collatione unus habeatur pro le-
gitimè & Canonice electio, in quem omnes, vel
major & senior pars consenserint, d. e. Quia propter
& alijs b. t. Nam electio per minorem par-
tem Capituli facta non tenet, neque ratificari
per subsequentem consensum potest. Auditio
29. b. t. Publicatione autem facta nullius suffra-
gij mutatio admittitur, e. Publicatio 28. b. t.

3. Dixi major & senior pars: quia non suffi-
cit major, nisi etiam sit senior, d. e. Quia propter
Major

Major pars est, ubi est major eligentium numerus: senior vero pars spectatur ex auctoritate & zelo eligentium, atque electi metiris. Hinc si in Ecclesia Cathedra sit octodecim Canonici, & duodecim Titulum elegent, sex Sempronium, qui tamen sint senioris judicij, neutra electione subsisteret, quia in utraque alterum desideratur, e. *Ecclesia vestra* 57. b. t. nisi numerus eligentium alterius partis alteram in duplum excederet: nam eo casu nulla habebitur ratio illius partis, licet senioris; nisi quod ipsi maneat salvum jus expugnandi aliorum vota ex alio capite, veluti quia sint excommunicati majori excommunicatione, suspensi per sententiam ab officio, irregulares, e. *Si quando* & ibi *Glos.* eod. in 6. non quidem, ut minorum seu attenuent aliorum vota, sed ut ea reddant nulla, *Glos.* ibid. Quod si vero major pars scienter indignum elegerit, valet electione de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta, e. *Dudum* 22. *Congregato* 53. hoc tit.

4. Por compromissum sit electio, quando ij. quorum est eligere, compromittunt in unum, cap. *Si compromissarius hoc* t. in 6. cap. Post translationem inf. *Deseruntiat.* vel plures idoneos. d. e. *Si compromissarius* & ibi *Glos.* in V. *transfervunt*, s. *Cum in usseri* 52. b. t. ciuidem vel alterius collegii, qui vice omnium elegant & Ecclesiæ viduatae provideant de Pastore. Atque in eum, quem illi elegerint, omnes consentire, & si idoneus sit, recipere tenentur, d. e. *Quia propter juncto* e. *Causam que* 8. & alijs b. t. nisi appareat contra formam compromissi electum esse, e. *Cum electus* 32. eod. Dixi, in unum vel plures, quia sufficit in unum compromittere, d. e. *Si compromissarius* eod. in 6. Imò subinde expediri, ob hominum ad dissentendum naturalem facilitatem. Tametsi autem in alijs Collegi uegotiis explicandis sufficiat consensus maioris partis: tamen in compromittendo omnium consensus exigitur: adeo ut unus dissentens compromissum impediatur, d. e. *Quia propter* ibi: *qui vice omnium*, & ibi *Panormit*, quia interest singulorum, ne preventur vox suâ. Deinde cum compromissum sit voluntarium, recipi ab omnibus debet, iuxta e. *Quod omnes De reg. jurie* in 6. Neque tenentur compromissarii servare aliquam formam in electione per eos facienda, arg. d. e. *Quia propter* ibi, *vel saltem* & ibi *Abbas*,

quia forma compromissi est subsidiaria. Quod si compromissum simul concurrat cum scrutinio, & permixtum exercetur, veluti si compromittatur, ut compromissarij, sive unus sive plures, secreto & sigillatim vota exquirant, illumque elegant, in quem major & senior pars Collegij consenserit, tunc ea, qua in scrutinio necessariis observanda sunt, etiam in hac specie exhibenda erunt, e. *Cum dilectus* 32. & e. *vers. Verum* B. b. t. e. *Si eu* 24. *Cum expeditas* 29. eod. in 6. Facta vero electione, electores in præjudicium electi compromittere non possunt.

5. Per quasi inspirationem divinam, seu viam spiritus sancti, dictur fieri electio, quando ab omnibus unanimiter, & veluti conspirante consensu, quasi per inspirationem divinam, unus eligitur sine vicio, d. e. *Quia propter*.

6. Etsi autem non definet, qui velint hanc formam electionis, ab Innocentio præscriptam, etiam in alijs Episcopo inferioribus Prælati servari debere, yetius tamen est contrarium, cum id jure cautum non sit, præterquam in Prælatis Ecclesiastum Regularium: ad quas eadem forma recte producitur ex Innocentio in d. e. *Quia propter* in V. *Ecclesia viduata*. Verum hanc controvrsiam quoad Regulares sustulit nobis Conc. Trid. *Sess* 25. c. 6. *De Regularibus*: ubi & de electione Abbatissæ aut Priorissæ, aut cuiusvis alterius nominis Præfectæ seu Præpositori vide plenius.

§. V.

Quinam eligere vel eligi prohibeantur.

1. *Eligendi jus non habent laici, impuberes,* &c.
2. *Non potest quis seipsum eligere aut praesentare.*
3. *Enumerantur, qui eligi non possint.*

1. IN primis jus eligendi non cadit in Laicum ne quidem ex consuetudine vel præscriptione, e. *Messana* 36. b. t. Et ideo ad clamorem populi facta electio non debet per superiorem consumari, e. *Osius* 2. eod. quamvis patroni circa electionem jam factam merito postuletur assensus, e. *Cum terra* 14. in fin. eod. sji. Alioquin ne quidem per compositionem, eum Prælati